

PROFESSIO FIDEI  
EPISCOPORUM CATHOLICORUM AFRICÆ  
AB  
**EUGENIO CARTHAGINENSI**  
REDACTA.

(Hanc Professionem fidei, quæ librum tertium historiæ Persecutionis Vandalicæ constituit, videsis supra,  
col. 219.)

EXCERPTUM EX GREGORIO TURONENSI  
DE  
**S. EUGENIO CARTHAGINENSI**  
ET ALIIS CONFESSORIBUS QUI SUB HUNERICO REGE PASSI SUNT.

*I. Vandali a loco suo digressi cum Gunderico rege in Gallias ruunt, quibus valde vastatis Hispanias appetunt. Hōs secuti Suevi, id est Almani, Galliciam apprehendunt. Nec multo post scandalum inter ultrumque oritur populum, quoniam propinquui (Colb., ibi) sibi erant..... Post hēc prosequentibus Alamannis usque ad Traductam, transito mari Vandali per totam Africam ac Mauritaniam sunt dispersi.*

*II. Sed quoniam eorum tempore persecutio in Christianos invaluit, videtur ut aliqua ex his quæ circa Dei Ecclesias intulerunt, vel quemadmodum de regno expulsi sunt, memorarem. Defuncto igitur a Trasimundo, post scelera quæ in sanctis Dei exercuit, Honoricus mente crudelior Africanum occupat regnum, atque ex electione Vandalorum ipsis præponitur, cuius sub tempore quanti Christianorum populi pro ipso Christi sa-*

*A cratissimo nomine cæsi sint, ab hominibus non potest comprehendendi. Testis est tamen Africa quæ misit, et Christi dextera quæ gemmis immarcessibilibus coronavit. Legimus tamen quorundam ex ipsis martyrum passiones, ex quibus quedam replicanda sunt, ut ad ea quæ spopondimus veniamus.*

*III. Igitur Ciro'a, falso vocatus episcopus, hærcorum tunc maximus habebatur assertor; cumque ad persequendum Christianos rex per diversa transmitteret, sanctum Eugenium episcopum, virum inenarrabilis sanctitatis, qui tunc serebatur magnæ prudentiæ esse in suburbano civitatis suæ reperit persecutor. Quem ita violenter rapuit, ut nec ad cohortandum gregem Christi locum habere permitteret. Ille vero cum se videret abduci, epistolam civibus suis pro custodienda fide catholica hoc modo transmisit:*

**PISTOLA**  
**S. EUGENII CARTHAGINENSIS**

AD CIVES SUOS, PRO CUSTODIENDA FIDE CATHOLICA.

*Dilectissimis et in Christi amore dulcissimis filiis et filiabus Ecclesiæ mihi a Deo commissa, Eugenius episcopus. Regalis emanavit auctoritas, et pro exercenda fide catholica edicto nos ad Carthaginem venire præcepit. Et ideo ne abiens a robis Ecclesiam Dei in ambiguo, hoc est in suspenso dimitterem, aut oves Christi non verus pastor silentio relinquem; necessarium duxi has pro me vicarias vestre dirigere sanctitati, in quibus non sine lacrymis peto, hortor, moneo, et sa-*

*C tis abundaque obiector per Dei majestatem et per tremendum judicii diem, atque adventus Christi terribilem claritatem, ut fixius teneatis catholicam fidem, asserentes Filium Patri esse æqualem, et Spiritum sanctum eamdem habere cum Patre et Filio deitatem. Servate itaque unici baptismatis gratiam, custodientes Christi unctionem. Nemo post aquam, revertatur ad aquam, renatus ex aqua. Nutu enim Dei sal in aqua conficitur, sed si in aquam redactum fuerit, omnis*

<sup>a</sup> Legendum Genserico.

<sup>b</sup> Sic Colb. At edit., ad hortandum gregem Christi illum abire permitteret. Legendum forte, illum abire, etc. Reg., Christicolum abire permitteret.

<sup>c</sup> Sic codex Regius et editi alii; mss. duo, in Dominio; ex quibus alter, commissis.

<sup>d</sup> Sic mss. 2; editi habent a Carthagine. Baronius ad ann. 484, a Carthagine.

<sup>e</sup> Ms. 4, asserentes Patrem, et Spiritum sanctum eamdem habere cum Filio deitatem.

<sup>f</sup> Salvianus ejusdem ævi auctor lib. iii de Gubernatione Dei, bona quæ Christianis Deus assignat, recensens, commemorat sancti baptismatis gratiam, divini chrismatis unctionem, quod chrisma ecclesiasticum paulo post appellat.

<sup>g</sup> Colb. addit et Spiritu sancto.